



Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLII. Martha & Magdalena Christum hospitio excipiunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

304 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum;*
fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui feci
Misericordiam in illum. Et ait illi JESVS: *Vade, & tu fac*
militer. v. 36. Hæc est responsio ad illam quæstionem
Legisperiti: *Quis est meus Proximus?* Misericordia
enim Samaritani erga incidentem in latrones, de qua
Christus in Parabola aliud non expressit, quam (*Homo*
quidam) ab ipso Legisperito agnita ut laudabilis, latu-
testata est, omnem hominem esse nostrum Proxi-
mum. Et quia per illum Samaritanum Christus ipse
præfiguratur; si Christus Filius DEI unumquemque
hominem peccato originali, vel actuali vulneratum
pro Proximo suo habuit, an non consequens est, a
nobis etiam quemvis hominem ut Proximum haben-
dum, & amandum esse? *Vade ergo, & tu fac similiter.*
Et motivum Amoris aliud non require, quam quia ei
Homo quidam similitudine Naturæ, ab eodem Patre
Cælesti per Creationem, & ab eodem Redemptore
per Sanguinis profusionem tibi conjunctissimus: eti-
amsi nec sit Nobilis, nec Dives, nec Pulcher, nec
Doctus, nec Beneficus; neque aliud Amoris epithetum
addi sibi mereatur.

M E D I T A T I O C C C L I I .

Martha & Magdalena Christum *hospitio excipiunt. Luc. 10. v. 38.*

PUNCTUM I. Factum est autem, dum irent (Judæam
peragrando) & ipse intravit in quoddam castellum (Be-
thaniam) & mulier quædam Martha nomine, excepti
lum in domum suam: & huic erat soror, nomine Maria, qui
etiam sedens secus pedes Domini audiebat Verbum illius.
Dilce-

Disce à Christo, cùm Sæculares invisis, vel apud illos divertis, eosdem pijs Colloquijs ædificare. Disce à Martha Christum hospitio cordis tui excipere, Amore enim illum attraxit; si etiam amaveris, veniet, & mansionem apud te faciet: uti Joan. 14. v. 23. promisit. Disce à Maria Magdalena vacuum tempus Spiritualibus Exercitationibus impendere, & ab occupationibus alijs non necessarijs te subtrahere. Disce ab illa semper ultimum locum tenere, & in Mysticæ Christi Corpore humilibus ac infimis te conjungere.

PUNCT. II. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait: Domine non est tibi curæ, quod Soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet.* v. 40. Laudanda est, & imitanda diligentia Marthæ in functionibus Vitæ Activæ, in utilitatem Proximi sive Spiritualem, sive temporalem & corporalem ordinatis; sed vitanda est nimia sollicitudo, & neglectus Rerum Spiritualium, sive Vitæ Contemplativæ: hæc enim est illa Soror, quæ te adjuvet: ideo Christus Marthæ respondit: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, quorum solicitude animum turbans non est necessaria. Itaque Martha debet juvare Mariam, & Maria Martham.*

PUNCT. III. *Porro unum est necessarium. Maria optimam Partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* v. 42. Illud unum necessarium, quò omnis curæ, & solicitude convertenda est, & propter quod omnes curæ animum turbantes, amputandæ sunt, consistit in procuratione Beneplaciti Divini, & inde obtainendæ Salutis Æternæ, quæ procuratio partim habetur per operationes Vitæ Activæ, partim per operationes Vitæ Contemplativæ, quæ sunt optima pars, nunquam auferen-

auferenda; quia in Cælo cessante Vita Activa, que nunc Contemplationi, velut altera pars, moderata miscenda est, non cessabit. Itaque hic Contemplatio præferenda quidem est Vitæ Activæ, sed non separanda à toto, cuius est optima Pars.

MEDITATIO CCCLIII.

*De eadem Martha, & Magdalena
mysticè acceptis.*

PUNCTUM I. Considera verba, in primo Puncto præcedentis Meditationis relata, in sensu mystico & accommodatitio de Christi ingressu in hunc mundum ad Martham & Mariam, id est, ad Ecclesiam militantem, & ad MARIAM Virginem in Cælos assumptionem intelligi: ideoque in Missa Festi Assumptionis legitur hoc ipsum Evangelium. Itaque oculis mentis aspice B. Virginem in Throno inferiori post Christum, & sic quasi ad pedes Filij sui in Cælis considerantem, & audientem Verbum illius, quo scilicet Christus æterna Sapientia Patris communicat Gloriosissimæ Matri Thesauros Scientiæ & Sapientiæ suæ. Perpende, & gratulare Matri ingens hoc Gaudium, quod Gloriosa cum Filio Glorioso per novam istam, nec amplius dissolvendam conversationem habebit. Hoc est Præmium illius, quia Evangelicam Christi Doctrinam, & Verbum ejus, secum in terra degentis, intentissimè audiebat, & observando custodiebat, implebatque illud S. Lucæ testimonium: *Et Mater eius conservabat omnia Verba hæc in corde suo. c. 2. v. 51.* Hujus gaudij desiderio tenebatur S. Paulus, cupiens dil-